







VIII

~~XXXV. 2. VII~~

Michael MORELLI

Orat. et Epigr.

ORATIONES,

ET EPIGRAMMATA
F. MICHAELIS MORELLI,
A MONTE LEONE
ORDINIS EREMITARVM S. AVGVSTINI;
Et Sacræ Theologiæ Professoris.



BONONIAE,
APVD PEREGRINVM BONARDVM,
Sanctissimæ Inquisitionis permissu.
M. D. LXXXI.

INCLITAE,
AC CELEBERRIMAE
CIVITATI MONTISLEONIS
Magnæ Græciæ.

FR. MICHAEL MORELLVS
EIVSDEM CIVITATIS
Studioſiſsimus Ciuis. S.P.D.

VALDE *perſpicuum eſt (mea inclita, atq; iucundiſsima Ciuitas) apud orbis terrarum ſapientes, quòd non ſolùm Cœlum, Planetæ, Sydera, Elementa, motuſq; cælorum, verùm etiam & volucres cæli, ac animantia tùm terræ, tùm aquis degentia, immò quoq; teneræ, viridesq; camporum plantæ, atq; pratorum flores amæni ſuos progenitores recenſere, obſeruare, ac amore, ſtudioq; complecti liberos omnes leniſsimè, ſuauiſsimèq; vrgeant, coerceant, excitent, impellant, agitent, pariterq; inducant. Propterea admirandum non eſt ſi ego, qui ab ineunte ætate vſq; in hodiernum*

diem vt præclaris quàm maximè sacrarum literarum studijs operam nauare polleam, huius acceptæ filiationis indicium, ceù huiusmodi beneuolentiæ argumentum aliquod tibi non exhibuerim, nec vnquam indicarim, nunc verò tanquam eius studiosissimus filius ad eam salutandam, agnoscendam, redamandam, honore afficiendam, ac semper obseruantia prosequendam sic appetenter & tàm properus deuenio: Hoc etiam agere, atq; contendere maximopere deberem; tu enim vehementissima hilaritate, atq; sedulitate ueluti beneuola mater me in hanc lucem, quam præ oculis habemus, edidisti; & ita alacriter me infantulum lactuisti, ac educasti; Vt mea equidem prima Elementa à te solùm accepisse nè dùm meo semper animo voluerim, verùm etiam vbiq; terrarum dilucidissimè patefecerim, ac ostentarim. Quamobrem vt aliquod tibi beneuolentiæ, gratitudinis, æstimationis, atq; visitationis pignus exhibere videar, neuè etiam à materna grauitate me degenerasse comperiar, hos tenellos, agrestesq; fructus, quos diebus transactis quemadmodũ tuum tenerrimũ germen germinaui, pullulaui, emisi, atq; propagaui, quàmprimùm tibi offerendos, addicendos, præbendos, ac consacrandos tùm animi, tùm corporis studio contendi. ij enimuerò supra te, eminentissime Mons, statuti, ac collocati dulciores, maturioresq; proculdubio euadere poterunt:

runt: *Tu enim ab Oriente non plurimum distas; super te cælum mirabiliter influit, Phæbus continuò residet, ac radij solares ante omnes alias regionum partes irradiare, atq; emicare concernuntur. Non immeritò igitur Mons Leo nuncuparis, & hoc maximum, celeberrimumq;, nomen tibi vendicas: Es etenim Mons Leo Mons voluptatum, Mons deliciarum, opulentiarum, speciminum, præconiorum, honorum, facinorum, atq; roborum; Mons florum, rosarum, & liliorum; Mons palmarum, atq; cedrorũ; Mons pulchritudinis, pinguedinis, ac vbertatis; Mons trophæorũ, sertorum, atq; gemmarum; Mons amplitudinis, potentiæ, & claritatis; Mons virtutis; Mons luminis, atq; splendoris; Mons hilaritatis; Mons thesauri; Mons amænitatis, atq; iucunditatis; Mons fluens lac, Manna, & mel; Mons deniq; suauitatis, & dulcoris. Vale, vale igitur felix; Vale diù inquam Mons Leo totius Hesperiæ miraculum incomprehensibile; totius orbis terrarum floridißimus Hortus; astrum Magnæ Græciæ clarißimum; Flos cunctarum Vrbium semper virescens; inæstimabilis omnium Prouinciarum gemma; sublimis omnium Regnorum corona; celebris, veneranda, ampla, spectabilißima, pulcherrima, præstabilißima totius Terræ columna; verum, dignißimumq; scabellum illius immensæ, proce-*

ræ, eximiæ, amplæ, fulgidæ, strenuæ, laureatæ, victoriosæ, inuictæ, inclitæ, speciosæ, floridæ, prosperæ, præclaræ, supremæ, admirabilis, spectabilis inæstimabilis, memorabilis, cælestis, ac ineffabilis Romanæ Columnæ: Meque tuum filium tuæ beneuolentiæ mammis pascere, educare, ac alere velis; & amplis tui amoris bracchijs continuò complectere, refoue, distringe, sustine etiam atq; etiam te rogo, deprecor, ac obsecro.

ORATIO

FRATRIS MICHAELIS MORELLI HIPPONENSIS,

Habita Neapoli in Ædibus Diui Augustini,

In Vigilia Natiuitatis Domini, Anno 1575.

QVEMADMODVM (*Præstantissimi Patres*) *Regem quendam opulentissimũ, quem propter animi affectionem abstruso silentio pertransibo, innumeris primùm opibus, immensis thesauris, maximisq; gemmarum, electrorumq; collibus affluentem; innumera tot equitum agmina suppeditãtem, productas tot exercituum acies deducentem, infinita tot municipia tot Vrbes, tot oppida, tot castra, tot impares nationes subigentem: mox pauperrimum hominem, mendiculum, nudum, subditum, externũ, peregrinũ, eorumq; seruũ, quos ipse regens quibuslibet gratijs corroborarat, opibus locupletarat, disparibus copijs, ac triumphis exaggerarat,*

omnium

omniumq́ ad extremum mortalium humillimum, miserrimum, despectissimum actutum fieri, contremendū esse vos omnes expenderitis: Perinde (fulgentissimi Patres) altero pede claudum perambulare, surdum percipere, elinguem affari, oculisq́ captum prospicere, delirum addocere, inscium disceptari, puerum perorare, absterrendum equidem esse apprime sanxero. O grauissimam, ac inexauditā stupiditatem, me in huiusmodi dicendi genere claudū, diuinis in rebus etiam surdum, mentis conceptibus mutum, perspicua ingenij acrimonia cæcum, diuersarum tot rerum typis dementem, qualibet quoq́ rei ambiguitate ignarum, memoria demumq́ vacillantem adolescentulum ad hanc coruscantem, amœnamq́ exedram, quæ solis viris patuit, vbi etenim ad hiscendum vnusquisq́ gentium expallescit, ingrediendam, suscipiendamq́ præsumpsisse: Idcirco cum ancipiti cura distraherer, peracerba mihi solicitudo inuasit: huiusmodi verò, vt expedire me nequeam: meum enim consilium quò sit euasurum timeo: quid tandem ipse misellus agere debeo? in fugam me conijcere, vel perterritus hic præstolari? si fugam equidem arripuero, me pusillo, exili, ieiuno, futili, pauidoq́ animo emersum proculdubio animaduertetur: sin autem me imperitum ad ratiocinandum, procacem ad lacessendum, tumidum ad expromendum, vecordem ad conspiciendum, imprudentem

dentem ad gesticulandum extitisse ex susurranti vulgo clarissimè perpendetur: sed si in illud sydereum, summumq; præsepium oculos conijciam, Regem Pacificum aureo, gemmeoq; sceptro me vocitantem exaudiero; siste, siste Michael gradum, aperi os tuum, & ego illud implebo: Si tamen in vos (celeberrimi viri) cunctas vestras aures auidas ad excipiendum, clementes ad indulgendum, lenes ad tolerandum, mites ad retractandum comperero: Cum postremò hunc in modum res se haberet, vtroq; auxilio me penitus inuoluam: Estote ergo vos omnes (patres integerrimi) iucundi ad sentiendum, amæni ad audiendum, benigni ad præstolandum, mirabilibus enim inauditisq; de rebus hac necessaria in Diuini verbi natiuitate, ex qua omnis nostra salus effluxit, atq; pependit, quàm facillimè, strictissimèq; polluero, vobis ad dicendum exordiar. Maximo post hominum memoriam gaudio (optimi viri) in nostri redemptoris natali die exilire coercemur, eiusq; ortum maximopere percolere debemus; de exilio namq; ad patriam, de seruitute ad libertatem, de bello ad pacem, de tenebris ad lumen luminum, de angustia ad gloriam, de morte ad vitam, de creatura ad creatorem, de Lucifero ad Deum proficiscemur: Hodie scietis quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam eius: Crastina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit super nos sal-

uator mundi: Congratulemur igitur omnes, colluſtrati enim ſumus; & gratiam, quam non merebamur, agnoſcamus: Ab originali namq́ contagio gratiæ lauacro abluti ſumus: mens igitur lætitia efferatur, ſpiritus exultet, os glosſa recens carmen depromat, læua tympanizet, dextera pſallat, nomen, ſpecimenq́ Dei Opt. Max. concrepantes; Vt totus homo ad illũ ſupremũ paſtorem, qui pro ouibus ſuis mortem anhelauit, tendat: traditur enim leuemus corda cum manibus in cælum, Vt qui totum condidit, totum poßideat. Quem quæſo, tali de tempore alloqui nõ oblectet? Quem eius amœnitas in ſui laudem non excitet, ad amorem non inflammet? O tempus hilare, tempus acceptabile, tempus floridum; tempus amænum, quia diuerſis floribus circunſpectatur; tempus acceptum, quia grato circunquaq́ odore diffunditur: Iam enim hyems tranſijt, imber abijt, & receßit; flores in terra noſtra apparuerunt, & Vineæ florentes ſuauißimum odorem dederunt; Cui per orbem terrarum Apoſtolicum illud eructare non libeat? Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. O quàm mundum, et quàm iucundum erit per flores incedere; per Virtutum proceritates, per charitatis crocum, per caſtitatis lilium, per paßionis roſam, ac per humilitatis Violam permeare? Ecce quid Virginis puerperiũ, Ecce quid noſtri Emanuelis incarnatio contulit: iſte puer matris integritatem

non

non abripuit, sed totam patri dedicauit: in isto puero Emanuel nobiscum Deus est factus: per hunc puerum Humanũ genus est nactum quod in primo omnium parente dissipauit: ab hoc puero fuit depulsus, qui prius deiecit; & erectus, qui prius fuit deiectus: per hunc puerum homo dignitatem, quam olim ita miserrimè deperdiderat, recuperauit; ipse tandem est, qui stigma omnium nostrum abstulit; sed quale, inquies, propudium? ad imaginem profectò summi Dei est homo fixus, maximus quidem honor; sed ingratus homo hoc animo minimè volitauit, idcircò neglexit: desperata verò, ac Dei forma reiecta iumenti vultu se glomerauit; Ecce quale dedecus, inde improperium, inde opprobriũ: Pietatem ergo Dei (si posit) expensitet homo; contemptus à nobis, contemptum nostrum sustinere non potuit: despectus ab homine, despicientis notam non est perpessus. Ecce ad tenebras illustrandas, nostrumq; probrum extergendum Deus Dei filius pro nobis omnibus est homo factus, pro nobis est ex intacta Virgine ortus, & pro nobis est vberrimè datus: O admirabilis censuræ conditio: O ineffabilis misterij depositio: peccat iniquus, punitur iustus: delinquit reus, vapulat innocẽs; offendit impius, damnatur pius; quod meretur malus, patitur bonus; quod perpetrat seruus, exoluit Dominus; quod committit homo, sustinet Deus: Venit itaq; Deus, vt

salui essemus, ergo perditi eramus: Venit ut salutem consequeremur, ergo maxima ægritudine laborabamus; Venit ut nobiscum conuersaretur, ergo sine eo reperiebamur: Quapropter meritò dictum, & meritò dicendum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui: O felix conceptus, felix & partus: veritas enim de terra orta est; Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum: O qualis fructus; fructus excelsus, fructus inclytus, fructus semper expetendus, fructus vberrimus. Ecce quid nobis proles puerperæ Virginis contulit: Mel summo de solio venit, & de summis in ima descendit; cuius dulcedo dulcedinem quamlibet excedit: sed à quo mel istud est cælo delapsum, & vnde noster Emanuel est cibatus, et pastus, perpendamus: Credimus quia summo de cælo egreßio eius, de celsi patris apotheca melliflua illa dulcedo deuenit; vbi Emanuelis infantia fuit educata. Procul dubio quidquid dulcoris, quidquid suauitatis, quidquid iucunditatis pater habuit, totum Emanueli instillauit: Ecce à quo cælo ros iste descendit: vnde Pater & Spiritus sanctus rorauit, Pater gignendo; Spiritus sanctus vniendo. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet saluatorem: Rorauit Pater mittendo quem genuit; rorauit Spiritus sanctus afflando cui vniuit: De Patre secundum

Diuini-

Diuinitatem genitus, de Spiritu sancto secundum huma nitatem conceptus: Vnus, idemq; à Patre missus, & à Spiritu sancto vnctus: propterea inquit, vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. O si vultis, Patres optimi, oleum est; si vultis mel est: Oleum est miserationis, mel autem est amoris: propterea (ni fallor) à Propheta refertur, in die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis: vita, & gloria, perpes uita cũ sũma gloria, ingens gloria cũ perenni vita: Curramus itaq; ad fructum per fructum, per fructum internum ad fructum sempiternum. Sed vnde hoc etiam fuit huic nostræ miseræ terræ, vt talem poßit efficere fructum? Etenim Virgo Beata Maria secundum carnem terra erat, & terram adibat, vbi ab Angelo auribus accipiebat, Aue gratia plena, Ecce concipies, & paries filium: tunc per communis naturæ fragilitatem humus erat, per obitum verò ad humum commeabat: Vnde ergo tali terræ hunc fructum gerere posse? ni certè ab omni vitiorum contagio prorsus expurgata fuisset, Deum Dei filium non genuisset; vt etiam conciperet, & virgo pareret; immensa Sanctitate, ac mira puritate esse oportebat: O speciosum ergo, speciosißima Virgo Maria, templum Domini, Spiritus sancti sacrarium: parentum reparatrix, ac posterorum seruatrix; tu mortalium generi absq; lumine errantium

veram

veram lucem attulisti: ex te enim ortus est sol iustitiæ Christus Deus noster: Omni profectò virtutum pulchri tudine erant homines denudati, ac omni dedecore, igno miniaq; constituti; uoluntas etenim appetitui optempera rat, constantia corruerat, omnis nostra vera dignitas erat ablata, omnis splendor extinctus, ac omnia deniq; virtutis ornamenta ceciderant; at tu Christũ concipien do, eumq; mundo indicando; ex tenebris ad lucem, ex morte ad vitam, ex vera, turpiq; ignominia ad verã, illustremq; dignitatem nos omnes reuocasti: ex te igitur nostra salus, nostra victoria, & nostræ innocentiæ restitutio clarißimè dependet: Quid sine te vita mortalium esset, nisi nox, nisi caligo, nisi tenebræ, & vmbra mortis? tu es virgo, & mater; cuius mater? Eius, cuius Deus est pater: Et quid aliud rubus ille, quem viderat Moyses, flammas emittens, seipsum minimè comburens, nisi te ipsam sine viro concipientem, ac sine dolore parientem portendebat? O quanta mirificentia; virginem ante partum, in partu, ac post partum extitisse: hæc deinde virgo sine grauamine grauida fuit: sine dolore peperit; Sol natus est de stella, pater de filia, creator de cretura: O uenter capacior cælis, diffusior terris, latior elementis; qui illũ continere valuit, qui terræ tribus digitis molem appendit: O beatum vellus cælestis agni tegmen: de te summus meus Pater Augustinus inquit

pretiosum

pretiosum editum esse lilium conuallium, per cuius partum protoplastorum natura mutatur, deletur & culpa: præcisum est enim illud Euæ infelicitatis elogium; vbi dicitur, filios in dolore paries; quia ista in lætitia Dominum peperit: Ideò Dei genitrix virga est, ac vinea venter eius, & flos filius eius: rectè namq; dicitur virga gloriosa Virgo Maria; virga recta, virga erecta, ac in cælum vsq; porrecta: gracilis virga, flexibilis virga, florigera virga, fructifera virga: per fidem recta, per spem erecta, per animi magnitudinem procera, per humilitatem gracilis; per pietatem flexibilis; per virginalem conceptionem florigera; per salutis partum fructifera: Virgo Dei genitrix virga est, flos ergo filius eius: Et quid aliud mihi prædisti (magne Propheta) cum dixisti; Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, nisi Mariam Virginem virgam esse, ac florem filium eius? O quàm præclarè, & quàm iurè flos nuncupatur, qui ex viridi uirga producitur: Quid flore exilius? Quid flore tenerius? Quid ad contingendum lepidius? Quid ad gestandũ inanius? Quid ad demulcendũ blandius? Quid flore formosius? Quid flore fragrantius? Quid flore vberius si effectũ attendimus? in flore est mellificatio, ex flore fœtus decerpitur; ex flore fauus, & fructus; in fauo mel, & cera; in fructu potus, & esca. Quid autem flore

olidius

olidius cũ aſtringitur? Quid tenerius cum atteritur? Quid lenius cum attrectatur? Quid leuius cũ effertur? Quid ſpecioſius cum aſpicitur? Quid fragrantius cum odoratur? Quid etiã cõducibilius ſi effectus expetitur? flos inquam eſt inclytæ Virginis filius, ad iracundiam tenuis, ad miſerationem tener, comitate lenis, Dominatione benignus; per commercium pulcher, per repromiſſionem fragrans, per remunerationem frugiferens: ex hoc flore (fulgentiſsimi Patres) cruor, & lympha effluxit: lympha ad labes noſtras abluendas, cruor autem ad abſtergendas emanauit: eſt igitur tenuis in flagellis tener in miſericordijs, lenis in muneribus, leuis in iuſsibus, formoſus in exemplis, fragrans in ſponſionibus, vberior in mercedibus: Ex hoc etiam flore ſalutare eſt nobis confectum empirice; ex illo mel, & cera; in ipſo philtrum, & cibus: medela in redemptione; potio, & eſca in iuſtitia; mel, & cera in gloria: ex hoc medicamine indelebilis valetudo; ex eius eſca æternæ ſatietatis refocillatio: ex huiuſmodi poculo perpetuæ ſecuritatis ebrioſitas: de ipſius cera editæ claritatis fulgor: in eius melle indeficientis felicitatis dulcor: O mirabilis conceptus; O mirabilior partus; Virginem Deum concepiſſe & hominem peperiſſe? Et Verbum caro factum eſt: deſperare propter nimia peccata mea vtiq; potuiſſem, niſi Verbum tuum Domine, Verbum caro factum eſſet, &

esset, & habitasset in nobis: Iure optimo ergo de te (ineffabile Verbum) reboans lætatur Ecclesia; splendor paternæ gloriæ, de luce lucem proferens, lux lucis, & fons luminis, dies diem illuminans: ex te etenim cunctorum vita, salusq; pependit: tuo quippè somno solidissima pro nobis oblata immolatione, quidquid insimulatum erat, vnde nos principatus, atq; potestates ad cruciatus contuendos meritò detinebant, purgasti, dissipasti, diruisti, euertisti, abolesti, ac penitus extinxisti: tua postremò resurrectione ad alteram, & nuperã vitam nos prædestinatos excitasti, experrectos comprobasti, atq; approbatos oppidò beasti: Tu .n. amas vt charitas; noscis vt veritas; sedes vt æquitas; dominaris vt maiestas; regnas vt princeps; mederis vt salus; reuelas vt lux; visitas ad desolationem; illuminas ad cognitionem; perpetuas ad immortalitatem; imples ad felicitatem; circundas ad securitatem: O fertile Verbum; O Sanctum Verbum; O pium Verbũ: Verbum Diuinum: Verbum mirabile: Verbum æternum: Verbum immensum; Verbum incomprehensibile; & nihilominus vt nobis Cælorum ostium patefaceret, foresq; emicantis aulæ reseraret, Verbum caro factum est: exemplar igitur humilitatis Verbum; causa vitæ caro; salus Verbum; substantia caro; pabulum angelorũ Verbum; panis vitæ caro: gloria deniq; Verbum, ac Via,

 Vita

Vita, lux, & veritas: Via; quia per ipsum ad gloriæ brauium peruenitur: Vita; quia in ipso viuitur; Veritas; quia nec fallit, nec fallitur: Lux; quia tenebras nostrorum peccatorum illustrauit: percolendum ergo Verbum, percolenda caro; superextollendum Verbum, superextollenda caro; adorandum Verbum, adoranda caro; inclytum Verbum, inclyta caro; pacificum Verbum, pacifica caro: Verbum; quia à Patre in æternitate oritur: Caro; quia à matre in temporis mutabilitate nascitur: opus quidem mirabile, singulare inter omnia, & super opera cuncta; Deum, & hominem in vnam conuenisse personam: à sæculo certò non est auditum, sublimitatem cum demißione coiuisse: nihil Deo sublimius, & tamen in imum descendit: Quapropter expauescens Esaias acclamauit, quis vnquam tale audiuit? & quis huic simile vidit? Ecce in præsepio iacet ad humilitatis exemplum nobis exhibendum; Dominus enim factus est omniũ seruus; & qui linguas Prophetarum aperuit, factus est infans: erubescat ergo superbire humana infirmitas, cum se ita depreßit Diuina Maiestas: Ecce iacet in præsepio ad suæ vitæ paupertatem nobis pandendam: vnde natus est in stabulo, & positus in præsepio: aula eius stabulum: Thronus præsepium; familia bos, & asinus: humilitas, & humiliatio: O miserum genus humanum: Cur regias sedes ædificas

ficas

ficas, cum Deus tuus in præsepio recumbat? Cur de lauto tegumento cogitas, cum Deus tuus sit vili amictus panniculo? Cur de clientum collegio elaboras, cum tuus Redemptor boue, asinoq; maneat? In præsepio est deinde positus ad nos omnes saluandos (referente Esaia) Deus ipse veniet, & nos saluabit; tunc oculi cæcorum aperientur, & aures surdorum patebunt: tunc claudus sicut ceruus saliet, & lingua mutorum erit aperta. Ecce nostra salus; Ecce nostra redemptio; Ecce nostra gloria; Ecce nostra beatitudo; Quid plura? Ipsemet Deus Vnigenitus filius Dei (vt extrema cum primis contexam, & meæ orationi extremam manum imponam) in præsepio recumbit tanquam pauper, & miser vili pãniculo indutus; vt nos lautius, atq; sumptuosius indueremur; in humo Rex gloriæ moratur; vt nos in cælo gloriosè habitemus: de regalibus sedibus vsq; in præsepium Deus homo transiluit, vt hic homo vsq; in Deum euolaret; inter duo animalia in præsepio iacet, sicut infantulus in cunabulis plorans; vt nos cælestibus in regnis inter beatos rideamus, gaudeamus, & iubilemus: Simul cum Maria, & Ioseph Deus, & homo in præsepio cubat; vt homo simul cum Angelis in Paradiso Deo frueretur: In præsepio tandem pauper, humilis, & miser decumbit; vt nos mortales, tetrestres, & miseri immortales, cælestes, atq; beati efficeremur. Reliquum

igitur est (Patres optimi) vt hunc pulcherrimum, supremumq; Infantem Diuinum ex toto corde, totoq; animo cum Maria, & Ioseph exultantes osculemur, & amplexemur; Cum Angelis psallentes indicemus, & canamus; Cum Pastoribus personantes custodiamus, & miremur; & cum Magis amore feruentes veneremur, timeamus, et adoremus.

NAm ipse est cũctorũ dominus, moderator, et auctor:
Qui sine principio, qui sine fine Deus:
Principium Pater est primum, quo filius ortus,
Principium cuius dicitur esse Pater:
Ingenitusq; Pater, genitus sed filius, almus:
Spiritus ex illis vnio firma fluit:
Diuinum Verbum genitum de Patre potenti,
Virgineo ventre id credimus esse satum:
Verbum quod Simeon vetulis assumpsit in vlnis,
Orauit dicens, me sine pace precor:
Simplex est Verbum, nempè indelebile Verbum,
Maxima connectens numina cuncta simul:
Dulce tamen Verbum, quod profert dulcia verba;
Verbum, quod nobis nunc decet esse salus:
Quo fabricata simul terræ stat machina cæli,
Materiam primam condidit ipse Deus:

In præ-

In præsepe iacens calefactum vagit vt infans,
Virgo sponsa Dei mater amore colit:
Et chorus angelicus, Pastores dulciter orant:
Vtque Deum trinum mente, animoque simul:
Oraruntque Magi Reges Regemque potentem
Astrorum, & Cereris munere, & igne citi;
Bos, Asinusque fouent, lætis quod flatibus almum
Prædicunt Dominum temporis, atque poli:
Ortus, & occasus monstrant Elementaque cuncta
Rectorem atque bonum plus vtriusque poli:
Lætitijs effunditur alma Ecclesia mater,
Orto & Pacifico cantica Rege canit:
Qui vt pius agnus adest generis reparator & orbis
Humani, tollens crimina nostra nece:
O Rex cunctipotens totius conditor Orbis,
Maxime, quem petimus nocte, dieque puer:
Ammiserat quondam cæci nos menda parentis,
Atque sibi seruos fecerat arte Satan:
Sed nunc vnius meritis, ac munere Christi,
Nos tua iam soboles, progeniesque sumus:
Ad tua nec temerè cælestia regna vocamur,
Nec temerè noster diceris esse pater:

Nam

Nam colens axem, ac sydera diuo lumine terrens,
 Spiritus intus alit pectora nostra tuus:
Conditor es vastæ, gignentisq; omnia terræ;
 Atq; tuæ cæli sunt pietatis opus:
Iussisti pelagus profundam cingere terram,
 Ac passim dulces exorirentur aquæ:
Æthera fixisti, ac flammis velocibus ignem,
 Omnia, quæ nostro sunt elementa solo:
Tu solo nutu propter nos cuncta creasti,
 Ac tibi quicunq; est, omnia debet homo:
Sic ego te deprecor, cum te pendamus ab vno,
 Vt nos ex omni tempore semper ames.

DIXI.

ORATIO

F. MICHAELIS MORELLI HIPPONENSIS

HABITA NEAPOLI

IN ÆDIBVS DIVI AVGVSTINI

In Feſtiuitate Sanctæ Catherinæ.

Anno. 1574.

SI quis veſtrûm (Ampliſsimi Patres, ac quiq; præſtantiſsimi ſpectatores) obſtupeſcit, me, qui quorundam obtrectatione, vel potius liuore ſubactus pronorum inſtar cæterorumq; animantium tot menſes, inſigneſq; dies (ſi vos memoria haud defeceritis) amplo ſilentio inuolui, aures vt multis patefecerim meas, inexcultiſq; verbis læſerim neminem, confeſtim nunc exagitata animi ſententia, in hoc floreum ſuggeſtum, quod vix quidem

dem idoneus pertingere, nè dùm prospicere comperior, hac mortalium luce ad dicendum ascendere: Is verò si mei consilij causam, rationemq; compenderit; forsitan non abhorrebit, adeò quod equidem ago meritò approbabit: Primùm enim (vt ita inquam) Senochratem il lum me dixisse aliquando pænituit depromentem, reticuisse nunquam, sum hactenus prosecutus: Nunc certò Iuuenalem Satiricum amænum æmulabor, me reticentiæ obarguentem, semper tu auditor tantùm, nunquam nè reponas? Immò sanè Aristotelem ipsum, qui cum Calistenem suum auditorem ad Alexandrum missitaret, admonebat vt cum eo aut quàm rarißimè, aut quàm iucundißimè alloqueretur, imitari contendam: Idcircò cùm & laureatū hoc spectaculum sitissem, flagrantius affectare sum omni studio connixus: Sed immensum mihi munus ab omnium conditore allatum me cum ipse pondero; me hac potißimum tempestate corā vobis disertißimis viris hunc præstantißimum locum tot mirificarum scientiarum floribus obuallatum, omnibus ineptiorem, indignioremq; scandere valuisse: vbi omnium vestrûm benignitatem, quorum aspiciendorum summa animi voluptate deprimebar, palàm intueri, ac alloqui poßim: Nec tamen minus ponderis mihi impositum esse perpendo, cum ego nulla eloquentiæ facundia præditus, & vix vllis litterarum studijs imbutus, iam

etiam

etiam ad hoc dicendi genus inexercitatus, hac in frequentißima, celeberrimaq; exedra ego blaterans sim hæc verba facturus: si enim loquacißimus hic obiter sermonem habere auderet; absq; dubio (vt examinare me potero) perterritus obmutesceret, ac propè cæcultaret; & quò iter tendere debeat ille mentis lumine obcæcatus vnquam excalleret: Hic etenim nihil esse nisi excelsum, sublime, mirabile, ac eximium excogitaui; ita vt si ad vos (fulgentißimi Patres) oculos conuertam, ferè meis faucibus vox inhæreret; & quanquam hæc mea inculta oratiuncula (vt ab omnibus non fugit) obscænitate non vacat, vixq; verbum verbo connectere, aut obtutum vobis figere præsumerem: nec vlla planè mihi ad hoc pondus subeundum facultas præberetur, nisi vestra dignitati connexa benignitas, & amplitudini coniuncta sedatio; quæ tantum mihi virium super addidere, quantum tantæ excelsitudinis spectrum arripuit: ac etiam si de vestra clementia non secus ac solaris radius in speculo emicanti, adactus non accesßissem, haud audacter procesßissem, enimuerò meæ mentis rationes exciderentur, ipse perorandi modus abesset, ingenioliq; mei vires eneruarentur; horrore postea tàm diutius vexarer: Sed præsertim humillimum, ac hylarissimum hoc vestrum supercilium me otio torpentem excitat, atq; confractum propèmodum reficit, refocillatq;:

ita vt firmißimo muro me ſeptum eſſe (dum apud vos percunctor) expenſitem: Quapropter veſtra lenitate fretus, id oneris mihi ſuſcipiendum, & Anſer inter Cygnos obſtrepere potius conſtitui, quàm diem tàm celeberrimæ Virginis turpi ſilentio præterire: Hac igitur ratione delatus, cum ad hanc oratiunculam me habendam contulerim, omnes vos exoratos velim, vt quod linguæ delapſu, ſiue animi titubatione inſulsè, vel minus tersè ex ore delabetur meo, mihi potius ingenuè condonetis, quàm vitio odiosè vertatis: Redemptoris noſtri ſpecimen capientes, qui adulterij notam, quam hebraica mulierculæ illi perfidia inuſſerat, maluit leniter remittere, quàm rigidè mulctare: Adeſtote igitur quæſo (præſtantißimi Patres) aures benignas, menteſq; veſtras erigite, & me aliquando de maximis rebus dicere primordiantem audiatis; nulla vos enim moleſtia me affecturum incumbam; immò quàm arctißimè potero vobis dicturum polliceor. Vnde igitur cælicola Catherina primordia contraham? vnde rectius deniq; exordiar? de forma, an de caſtimonia? de virtutibus, an de vita? de probitate, an de patientia? de lepidiori primũ geſtiens clamorem edis: Quid autem tua pulchritudine lepidius? Quid ea (amplißimi Patres) blandius? Quid lenius? Quid venuſtius? quã proſpicientes admirabantur; in oculis ferentes reciprocabantur: æmulantes ſalutẽ

ſibi

ſibi reddebant: ſermonem conferre ſentientes congratu labantur: Si integri, gaudio ſe afficiebant: Si imbecilles animum de cælo ducebant: Si ægri, conſaneſcebant: Si impij, demulcebãtur: Si pij, corroborabantur: Si hoſtes conciliabantur: O excelſa ſpecies, O fulgentior forma, O venuſtiſſima cælebs: O florens Virgo, O pulcherrima Virgo: tu florentibus florentior: tu felicibus felicior: tu terſis terſior: tu pulchris pulchrior: tu ſanctis ſanctior: tu magnis maior: Te omniũ fundator amore proſequitur; te Angeli aſſectantur; te Sancti amplexibus circumplicant: te Viduæ concinnè comunt: te Virgines condecorant: te Martires corymbis redimiunt: te omnium beatorum animæ canunt: te totus orbis terrarum vocitat, O formoſiſſima Virgo: te Præſules cuſtodiũt: te Sacerdotes laudibus efferunt: te Cænobitæ vbiq; gentium concelebrant: te viri venerantur: te pueri ex incunabulis obſeruant; te mulieres ſemper implorant; te puellæ continuò exorant: te tandem literarum ſtudia quotannis expectant: Et quando eius forma cum pudicitia diſſenſit, quæ nunquam & per vim regiam confregi valuit? O mirum prodigium (Patres Optimi) ignem aquam non extinguere, vim pauorem non peſſundare, Dominæ pediſſequam non ſubigi, Reginam ſubditam non proterere, vitam mortem non mactare, armatum inermem nõ retundere, lapidẽ cyatum non confringere?

Propterea maiorem in modum abhorrendum mihi est, cum omnes corpore præstantes si non vltrò, vi, uel mente tamen semper in huius castimoniæ periculum incidisse, hanc verò, quæ præstantibus est præstantior, vllo vnquam modo eodem austro iactatam incurrisse ipsomet animo peragitarim: Nec pulcherrimam illam Luchretiam prætermittam, quam Sextus Tarquinius in ædibus consedentem reperiens, praua libido Luchretiæ stuprandæ capit; tùm forma, tum etiam spectata castitas incitat: Cum ad suos lares non nullis diebus interiectis se recepisset, cum comite vno in Collatiam se contulit, vbi ab ignaris consilij est leniter acceptus: cum autē post cænam hospitale in cubiculum duceretur amore ardens, hospitiq; etiam tuta omnia viderentur, stricto gladio ad cubantem Lucretiam superuenit; sinistraq; manu mulieris pectore oppresso, sile Luchretia, inquit, Sextus Tarquinius sum, Ferrum iam est in manu; è vita demigrabis si vocem emiseris. Cum pauida è somno mulier propè imminens fatum conspexerit, tunc Tarquinius fateri amorem orare, precibusq; commiscere minas incæpit; interim omnes in partes muliebrem animū uersare, ac nè mortis quidem metu in actum irrumpi consideraret, timori tandem opprobrium coaddidit; cum mortua iugulatum seruum nudum, ait, impositu rum vt sordido in adulterio interempta vulgò feratur; quo

terrore

terrore victrix libido tenacem pudicitiam contorsit; mox postremò Luchretia mæroris concursu labefactata, parentibus accitis cum omnia primùm dilucidarit, cultro, quem conditum sub veste gerebat, mortem sibi consciuit: Attamen Catherina vigilijs horrorem suppeditauit, ieiunijs vim eneruauit; Verbo Christi ferrum obtriuit: Deus enim vultu suo adiuuauit, in medio autem eius commotus non est, quia virginem, & castam se Christo exhibuit. Sed quis tàm inscius vt ignoret, quis tàm imprudens vt animo non complectatur in hac Diuini aliquid non adfuisse? nunquid scyrpus absq; humore virere, aut carectũ sine aqua crescere potest? Hinc etenim admirandum non est, si ex ea artes liberales omnes effluxerint, ac emanarint. O quàm meritò Sophiarum exercitus nuncupari potest; ab ipsa enim tanquam à proprio fonte omnes dependent, fluunt, atq; vberrimè scaturiunt; ex quarum venis gratiæ quæq; semper emanarunt: Quem, quæso, peritißimum non omni virtute superauit? Nec Caium Iulium Cæsarem præstantißimum dictatorem, qui (vt Plinius annuit) epistolas tantarum rerum quaternas librarijs exarando, pariterq; legendo dictitabat; & si nihil aliud agebat, septenas dictare solebat: Nec Diodorum dialecticæ sapientiæ professorem, qui (eodem referente) lusoria quæstione non protinus ad Stilbonis interrogationes dissoluta, pudore obijt:

obijt: Nec Maſſentij nefariam immanitatem; Nec Ariſtotelem Stagiritam Philoſophorum principem exuperaſſe inquam; immò quoq; quinquaginta peritiſſimos Philoſophos, qui ad ipſam coarguendam conuenerant ſuæ ſcientiæ cacumine non ſolùm deuiciſſe, ſed à vitæ quoq; prauitate ad Chriſti cultum eorum animos conuertiſſe memoria teneo: Ipſa deinde eximio principio vitam iniuit; ab ineunte verò ætate noſtro Redemptori ſe obſecrationibus addicere incipiens, imbecille corpus ieiunijs ſæpiſſimè opprimebat: parca .n. vita (Hugone tradente) vitia occidit, libidinem extinguit, virtutes educat, animum roborat, mentemq; ad cæleſtia extollit: Nunquam inertia diem obducebat: à beato nãq; Hieronymo, ſemper aliquid operis agito, nè te Diabolus otioſam inueniat, intellexit; referente totidem ampliſſimo patre noſtro Auguſtino, otioſitas abſq; Dei timore eſt nequitiæ magiſtra: Obid aduerſas curas vndiq; occulcabat, humilia percolebat, & abſtruſis ſplendorem afferebat: Et quanta deinceps integritate fuit? Ipſa elationem criminum omnium matrem ſuæ religionis igne combuſſit; commentorum diuerſitates veritate profligauit; delicias caſtitate contempſit; opulentias pænitentia repudiauit; diſſentiones precibus eliminauit; obſedia puritate expulſit; ac inſidias ſuæ probitatis mucrone trucidauit. Quàm etiam hylaris extitit? quam

benigna? quàm venusta? quàm immensa? quàm potissimum patiens? Haec serpentē è latibulis oculis eminentibus, inflato collo, tumidis ceruicibus irruentem patientiae veneno infecit: Ista verè namq; Diuinum hominem dilexit, ac patienter tribulationes tolerauit: almus enim Hieronymus inquit, verus, & sanctus amor impatientiam non habet, falsus autem amor quàmprimùm opprimitur: Bernardus quoq;, vbi est amor, non est labor, sed sapor: Quid de Sancto Andrea dicam, qui crucis vexillum prospiciens proclamauit, Ecce totus securus, et gaudens ad te venio? Quid de Sancto Laurentio, cui carbones igniti refrigerium praestabant? Quid de Sancto Thiburtio, cui super roseos flores incedere videbatur? Quid de te prorsus (O felicissima Catherina) exprimā, quae acuminatis praefixa gladijs, celerem, acerbamq; rotam tot caris amplexibus es amplexa? factum est autem vt ex morbo planè conualesceres; vt ex infirma valida fieres; vt in pristinum valetudinis statum restituaris: poenas enim maeroris calcasti, & radiantis aulae sedem appetisti; acras passiones substulisti, & mercedem innumeram recepisti; Massentium suppeditasti, & Iesum Christum Dominum nostrum tibi imposuisti; tyramnidis consulem refellisti, & vitae senatum nuncupasti: tristitiae molem conspuisti, & ad hylaritatis agros euolasti; lachrymas seminasti, & exultationes

messuisti;

messuisti: tartaream noctem euitasti, & aureã lucem dilexisti: interfectorem habuisti, & medelam inuenisti; dentes peccatorum contriuisti, ideo virginale consortium meruisti: vulnera accepisti, & medicum adiuisti; mortem obisti, & vitam non ammisisti; horribiles dolores concepisti, et cumulatas felicitates peperisti: Tu igitur tuæ miserationis oculis populorum omnium exclamationes conijcere, eorumq; postea calamitates excindere; ærumnas detorquere, mærores deturbare, fluctuosa pericla demoliri, recentes, vitalesq; spiritus reddere, legalia iura dirigere, iam omnes incolumes procul dubio efficere potes: tua quidem felicitate, bonitateq; continget, quòd nos omni molestia nunc vacemus; nullis curis angamur; solicitudine nullaq; vexemur; nulla nostrorum animos molestior, grauior, acerbior exagitet, instiget, irritet, commoueat, coerceat cogitatio: tua etenim suprema intercessione ex vnaquaq; rerum perturbatione, ac turbulentissima tempestate eximere; ex armis, hæresibus, omnium quaruncunq; nationum flagitijs in vniuersam horthodoxam Remp. grassantibus, relaxare, vindicare, eripere, atq; seiungere polles. Tu deniq; nostræ Christianæ Religionis regiminis robur; Tu nostri horroris vmbraculum; Tu pauperum tegumentum; Tu infortunatorũ præsidium; Tu miserorũ suffugium; Tu depressorum vehiculum; Tu vexatorũ adminiculum;

tu le-

Tu studiorum auxiliatrix; Tu omnium virtutum Regina; Tu legislatorum regimen; Tu ciuilium legum incrementum; Tu verè superorum, Regumq; omnium soboles, ac Prouinciarum, Regnorumq; subsidium. Hinc (Patres amplissimi) nè vestræ cupiditati fiat iniuria, quàmplurima scindam, & meæ orationi fastigium imponam: Veruntamen si aliquid in loquendo timoris ratione ambigens ommisi, tùm meo contuso, viridiq; ingenio; tùm etiam mihi ipsi omni humilitate ignoscendũ existimabo: Et sic Catherina in almo Oreb ab Angelis mirificè collocata pro nobis omnibus illum, qui secum viuit, & regnat in sécula seculorũ, exorare non desistet: quemadmodum nos etiam omnes in hac sollenni die sibi salutem dicere nunquam desistemus; inquientes.

SAlue Nympha Poli fulgens nitidiq; tonantis;
Facta Dei summi lucida virgo pij:
Salue sydereæ fragrans Ancillula compta
Oras Reginæ purpureasuè ferens:
Salue nunc Tyrio chlamide O spectabilis ostro,
Ætherei ducens agmina face chori:
Salue sponsa Poli toto venerabilis Orbe,
Angelicis radijs tu redimita Ioue:
Salue pulchra Thetis quernis contecta corollis;
Nympharum optatis concelebrata lyris:

Salue cara Iouis, quæ accendis pectora Prognes
Pieridum, emittens carmina Daphne Deùm:
Salue grata Deis Philomela en garrula Olympi,
Pastoris laudes vinula sæpe canens:
Salue celsa Deùm contexta corona triumphis,
Aris quæ viridi bacchare cincta iaces:
Salue sancta Venus, salue O pulcherrima Cælebs,
Tu sertum Vatum, Pegasidumq; decus:
Salue Virgo Poli festis agitata choræis,
Gemma es tu superum, Tritoniæq; quies:
Salue lux Parcarum, Libethridum O alma pupilla,
Forma es Heliadum, ac pulchrior Hipperide:
Salue Parca Iouis cunctis amplexa Poetis,
Exculta es sacris versibus, atq; focis:
Salue Cælebs Regia, Cæli O fulgida proles,
Ammonis clari quæ Iubar alter ades:
Salue spes hominum, fax O clarißima nostra,
Cælestum Vatum diceris esse Pharos:
Salue Musa Dei magnis contenta theatris,
Tristia tu mulces pectora cuncta canens:
Nempè trahis homines, vt olim tersus Aryon
Delphinos agitans dulcia fila lyræ:

Salue

Salue terris quondam felix, O inclyta Martir,
Quæ nunc es nitido Virgo beata Polo:
Salue virtus mundi, salue O maxima Pallas,
Quæ nunc es magni magna Magistra Chori:
Pollice sic triplici retrahent dum fila Sorores,
In terris viuent festa colenda tua:
Sic nostro Duci precibus succurre benigno,
Atq; mihi semper nunc Catherina precor.

DIXI.

ORATIO
F. MICHAELIS MORELLI HIPPONENSIS
HABITA NEAPOLI
IN TEMPLO DIVI DOMINICI
In funere Magiſtri Gregorij
Neapolitani Ord. Prædicatorum.
Anno. 1572.

HVMANVM *genus (præſtantiſſimi Patres, ac quiq; clariſsimi Auditores) omnibus alijs in rebus calamitoſum, ac miſerum, hac Vna in re felix, atq; beatum prudentiſsimorum hominum iudicio exiſtimatur, quòd à Deo Opt. Max. fatali corporum interitu, ac neceſſaria morte mulctatum fuerit: Peractum eſt enim Vt quemadmodum nauis ſæuiſsimis diù iactata fluctibus tutò tandem in portu decumbit; ſic ipſa Vita maximis Ve-*

xata

xata, ac peroppressa laboribus, ærumnisq́, in letho cunctas molestias, omnesq́ horrores abijciat: Hæc autem mors cūm per se grauem beatitudinem affert, quòd ea solicitudines nostræ omnes, ac miseriæ determinantur; tùm eò etiam fortunatior esse videtur, quò aut augustiorem vitam inuiolatioremq́ expleuerit, aut certè sanctius, honestiusq́ obita sit: Itaq́ sapientissimè veteres hoc etiam homines vsurparunt, neminem nisi mortuum verè aut esse, aut nuncupari beatum posse: intellexerūt enim propter fortunæ leuitatem, humanarumq́ rerum inconstantiam nihil in vita stabile, nihil certum, nihil perenne, nihil integrum, tamen lubrica, ac incerta omnia esse: Quid ea lubricius reperiri polluerit? Quid labilius? Quid flebilius? Quid horridius? Quid miserius? Quid volubilius? Quid penitus laboriosius? O miserā, & in breui tam cele ē, & tam uariam humani fastigij commutationem: Non iniuria igitur (vt Plinius etiam naturalis historiæ scriptor annuit) multi extitere, qui non nasci optimum censerent, aut quàm ocyssimè aboleri: nostra etenim quæ dicitur vita (quemadmodum apertissimè patet) mors, vmbraq́ est: O mortalium miseria; Quid nobis tortuosæ vitæ superbia prodest? Quid diuitiarum iactantia? Quid animi inditia? Quid voluptatum indagatio? Quid fragilium corporum vires? Quid fama? Quid honos? Quid laudum præconia?

nia? Quid sobolis specimen? Quid Regnorum possessus? Quid prædiorum luxuries? Quid Vrbium, oppidorumq; luxus? Quid aureæ vestes? Quid pulchritudines? Quid castrorum acies? Quid copiarum redundantia? Quid temporum diuturnitas? Quid Ætiopiæ opulentiæ, quid Indiæ opes conferunt? Quid Pandoræ Tritoniæ sophia, Veneris lepor, Phæbi rutili musica, Cylenij facundia profuere? Quid Cæsari totius dominatio Orbis? Quid Catelinæ sæua factio? Quid Iugurthæ Numidarum Regi præliorum calliditas? Quid Neroni atrocitas, ac iracundia? Quid Antigono Macedonum Regi vrgens auaritia? Quid Romanis imperiorum sceptra? Quid tot Tyrannis tam fera tyrannis? Quid Zoroastri primario Bactrianorum Regi magicarum artium inuenta? Num omnes extremum uitæ spiritum non edemus? immò profectò sicut aquæ effluentes, & unquam remigrantes, aut auster confestim euanescens, (Vt in dies autumari queat) allabimur: Quid est autem hæc (qua fruimur) præcisa vita, nisi velocißimus cursus ad lethum? quot etenim horas peragimus, (quemadmodum etiam diuus Gregorius tradit) tot passus ad horridam mortem, quæ omnium terribilium est terribilißimum, conferimus: Vnde sicut in pelago est fluxus celeritas, sic etiam in hoc seculo est vitæ contractio: Propterea quàmplurimi Patres hanc vitam, quam vix nostram

dicere

dicere valemus, nauiganti aßimilarunt; ſtat enim iacet ad littus tendit: Non nè ſicuti mare, in quod tot flumina ingrediuntur, & vnquam redundans eſt ipſe Mundus? Ecce homo de inſtabili muliere exortus, breuiter ætatem degit; aßiduas in ærumnas decidit; ſæpißimè in tenebris offendit; in ſalebras ſæpenumero incidit; tam celerius à conditione recedit; miſerabiles ſingultus obiectat; acerbos furores eructitat; immenſos labores exantlat; innumera diſcrimina vbicunq; terrarum circunſpectat; truculentos caſus expectat; fœdißimè diem obducit; ac raptim tot vndiq; fluctibus iactatur; tantiſq; opprimentibus miſerijs diuexatur; ac cuncti deniq; dies eius anguſtijs, mæſtitijs, angoribuſq; afficiuntur. At ſi proinde mortalium mentes omnia hæc aut memoria complecti, aut obſeruando pernotarent, ceù etiam ex euentu iudicia facerent, creberrimas quidem vberrimaſq; lachrymas effunderent, ægra ſuſpiria erumperent; ac (nè quidem minimo temporis ſpatio interiecto) mortem occumbere anhelarent. Veruntamen cum omnium rerum mors ſit extremum, eam à Deo Opt. Max. non ſupplicij cauſa conſtitutam, ſed aut neceſſitate naturæ, aut laborum, aut miſeriarum finem eſſe ipſemet intellexi: Itaq; ſapientiores eam vnquam inuiti, fortiores etiam, ac prudentiores duntaxat diuina mente, conſilioq; præditi, profectò æquo animo, hilariq;

fronte

fronte ſemper appetiuere: abſurdum enim, ac maxima amentia eſt, eam viam defugere, quæ ad meliora perducit: ex periculoſo namq; iſtius vitæ enauigatio mari iam portum certiſsimè tenet. Obid cum omnia, quæ quadam ingenij imbecillitate à me memoria vacillanti perſtricta ſunt, ille tàm Reuerendus Pater Magiſter Gregorius tàm equidem vir clarus, cuius hodie iuſta celebramus, indaganter machinatus eſſet, ſinceroq; animo obſorbuiſſet, magis è vita deſciſcere voluit, & æuum ſupremo in olympo agere, quàm huius ſecli contagionibus conflari, ac huius corporis compagibus permiſceri: à teterrimo enim ergaſtulo ad libertatem, ab exilio ad amænam patriam, à perpetuis languoribus ad optimam, & perennem valetudinem procul dubio conmigrauit: Ipſe demiq; (omnibus vitæ actibus ſumma cum laude peractis, ac relicta poſt ſe ea nominis celebritate, qua quandiù inferior hic orbis erit, tandiù in omnium animis celeberrimus viuet) ex hac corporis cuſtodia, ex his mortalis vitæ miſerijs, ac calamitatibus ad cæleſtem illam patriam, vbi felices ſempiterno æuo fruuntur, lætiſsimè euolauit: Immò ſic hanc lucis vſuram reddidit, vt paruulo de atriolo maximum in Regnum demigraſſe viſus fuerit: qui vbi incumbentem ceruici mortem reſpexit, ad extremum vſq; ſpiritum ſummo omnium Opifici gratias agere nunquam deſtituit;
quòd

quòd in christiana pietate, in qua ortus erat moreretur: Quapropter vos omnes (clarissimi Auditores) vt exquisitè, & attentè (sicuti exorsi estis) audiatis exposco, ac deprecor; dum ego huius praestantissimi Magistri honestam vitam, coaeternam virtutis famam, egregios mores, ac praeclaras actiones pro virili parte insinuare aggrediar: Enimuerò si arbitrarer hunc talem virum, qui tandiù probè, beatèque tot virtutibus, ac tot egregijs animi dotibus vitam propagauit, satis à me pro eius meritis posse affici laude; audacter dicerem, totoque pectore incumberem; ceù uerbis amplissimis illustrarem, vel tandem vsque in caelum efferre maximopere eniterer: Sed cùm tot linguarum genera, tot peritissimorum hominum supercilia, tot venerabilium facierum spectra ex hoc tàm celeberrimo Theatro circunspexissē, meque ex tantis eloquentissimis Patribus obseptum prospexissem, quae omnia planè me modò eneruauere, nè quid in dicendo auderem mirum in modum abhorrendum mihi esse censeo: Veruntamen si aliqua dicere conabor, ea non meae orationis facultate, à qua longissimè absum, sed rebus ipsius gestis, atque exemplis tùm sua sponte amplissimis, tùm verò uobis notissimis illustrabo. Nunc equidem nulla re interpellabor (cum mihi vester squalor, ac sordes versentur) vt ea, quae pro viribus exponenda proposui, hactenus euoluantur. Vnde igitur

 Patres

(Patres amplißimi) primordia ducam? Vnde gestorum eius enarrandorum initia traham? Vnde deniq; exordiar? Dicamuè (celeberrime N.) celeberrimæ tuæ uitæ laudes? eas profectò si carptim quoq; recensere vellem; neq; id ingenio, animoq; assequi possem; neq; dies ipse porrò excelsitudini rei satis esset: tuæ namq; virtutes lucidißima veluti astra inter reliqua micantia sydera summopere refulgent: adeò ita propè inter se contendere videntur, vt neq; bona ipsa corporis animi virtutibus subesse; minus verò animus ipse corpori non præesse patiatur. Quid etiam dicam de eius excelsitudine, de eius proceritate, de eius clementia, de eius integritate, ac de eius humanitate? Profectò si membra omniũ nostrum in linguas conuerterentur, nemo eum vnquam plenè commendare sufficeret. O quid dicam pauper ipse ingenio? quidquid dico minor laus est, quàm tua dignitas requirit: O quid inquã (felix Anima) cum nulla hominum lingua, quæ tuas immensas virtutes enarrare valeat, inueniri poßit? Iam verò qua comitate, qua seueritate, quàm comis, quàm vrbanus, quàm beneficus, quàm familiaribus opportunus, quàm in omnes munificus fuit? Nemo vnquã omnibus his virtutibus decoratior inuentus est: Non iniuria igitur tota ipsius morte mæsta, pulla, tristis, ac undiq; lachrymabilis est hæc tàm eximia Ciuitas: O quanto magis est nobis

hodie

hodie lugendum? Sed quis temporibus meis aquam, oculisq; lachrymarum fontem, ac labijs dicendi copiam præbebit, vt tuam (mi carißime N.) claritatem, immensam bonitatem, singularem magnanimitatem, commemorandam moderationem, tuam postremò decoratam vitam, cuius vestigia æmulantes vnquam allabi poterunt, flagranti cum mærore ipsemet flere queam? Ecquis integer (integerrime Pater) tuos enitentes ritus acerbè non lugeat? Ecquis tàm ferreus, qui hanc tuam pulcherrimam faciem verè eximij concionatoris non veneretur? Ecquis tàm lapideus, qui tuam venustatem in dicendo mirum in modum non commendet? Ecquis tàm atrox, cui vberrimas lachrymas (hæc ipse proferens) non excutiam? Nec propterea eius nomen silentio inuoluendum esse reor: cuius integritatem, fidemq; conspiciebamus, ac sapientiam apertißimè experiebamur: æquitate namq; tanta pensiculabat omnia, vt opinioni de illo incredibile aliquid semper accederet: Simultates, pariterq; procacitates vndiq; compreßit: ita lites maximas diremit, vt perniciosas inimicitias, ac odia dispera tæ sympathiæ, seditiosasq; petulantias ad optimũ fædus spectabilemq; tranquillitatem reuocarit. Nunc vbi sunt ista animaduertentes? O fragilis, & cæca hominum conditio: Cum ad istud claritatis culmen esses (mi carißime Pater) perductus; Municipia, Populi, ac Nationes

 ingenti

ingenti plausu, ac lætitia effundebantur; nūc (te erepto) omnes boni in gemitu, & lachrymis derelinquentur: Quò, quò nunc indigui, atq; calamitosi homines se conferent? Vbi, vbi es, qui egenos tàm hylari fronte, humiliq; corde excolebas? Te, te omnis Hesperia lamentatur; Te probi, te religiosi, te familiares conqueruntur: Nemo, nemo est qui tecum virtutem, tecum castitatem, tecum patientiam, tecum seueritatem, tecum clementiam, tecum beneficentiam, tecum venustatem ex tinctā non esse reatur: Proinde omnes homines misera bilibus lachrymis efficiuntur, iracundos gemitus euomitant, in vberrimosq; singultus detruduntur: Reip. quoq; nostræ miseriæ perpendenti cuilibet lachrymarum flumina exprimunt; expendentium sensus conturbant, ac omnibus audientibus aures obstruūt: Tu enimuerò virtute victor, excelsitudine dominus, dignitate rector, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia Pater, bonitate prolixus, clementia perpetuus: Perditarum prauitatem tuæ mentis acumine confregisti, infirmasti, irritam fecisti, inanem reddidisti, reprexisti, di uerberasti, mulctasti, atq; penitus retrusisti: Regiam itaq; Menelai dignationem, Vlißis prudentiam, Nestoris senectutem, Palladis scientiam, Veneris decorem, Apollinis musicam, Mercurij eloquentiam, Dianæ fulgorem, Martis strenuitatem, Iunonisq; dominium antecesßisti:

anteceßisti : Prò Deum immortalem, omnes mei sensus hebetantur ; ac ferè animus, ipsaq; mens in huius facinoribus commemorandis excanescunt ; & (vt ita inquam) præceps senectus obrepit. Attamen cunctis in rebus ille felicißimus haberi debet : ingenio namq; conspicuo, singulariq; dicendi copia enituit ; vehementißimo specimine, ac dignitate præcelluit, summa cum laude vitam degebat ; cunctisq; scientijs vrgenti aßiduitate operam nauabat ; mentisq; aciem ad eas perpetim, ac diligentißimè dirigebat : ænigmata leuius explanabat : Sententias non tàm graues, & seueras ; quàm venustas, & concinnas proferebat : mærentium luctum abstergebat ; oberrantes leniebat ; frontem nunquam contrahebat, mærori tamen, atq; labori callum obducebat : Quid non gratiæ in uultu, quid non iucunditatis in sermone ; quid non probitatis in vita ; quid non sanctitatis in mente ille non ostentauit ? Nihil etenim fictum, nihil fallax, nihil simulatum, nihil dißimulatum, nihil versutum habebat : Mirabiles deniq; honores, ac incredibile nomen in alma Religione Dominicana erat ipse nactus ; immò protinus Prædicatorum ordinis specimen (vt est etiam hominum fama) absq; dubio nuncupari poterat : quapropter res eius tàm praclarè gestas nulla vnquam ætas conticescet : O nostræ ætatis decus, O nostri æui clarißimum lumen ; Quid tibi inter tot, &

tanta

tanta aut naturæ, aut studij, aut fortunæ insignia largitum erat, quod ad communem hominum salutem tibi præbitum non esse arbitrareris? Ecquis est, qui illam tuã benignitatem in ore, animoq́ non habeat vir & animo, & virtute excellens, atq́ florescens? Etenim nè Ægæum, vel potius Scilleum fretum me minima cymba nauigare videar, ceù aliquis error mihi infigatur, aut animus meus ex nimio mærore expellatur, neuè etiam tanquam ratis vndiq́ fluctibus, austrisq́ iactata mea oratio in profundo mari veheretur, ad vela equidem meæ lachrymabilis oratiunculæ contractanda quàmprimùm aggrediar: attamen si aliquid à me obliuionis causa, ac ingenij imbecillitate est ommissum, ceù si aliquod in alloquendo oberrassem omnes vos conniuendum arbitrabimini: Deinde mentes vestras, oculorumq́ aciem ad totius Orbis terrarum Conditorem omni zelo, ac sedulitate dirigere, ac extollere debetis: vt sicut huius animam cælicolam fieri sanciuit; ita & nobis (vitalibus luminibus derelictis) eandem sedem pro sua humanißima pietate asciscere dignetur.

DIXI.

EPIGRAMMATA

F. MICHAELIS MORELLI
HIPPONENSIS

HABITA BONONIAE

In Ædibus Almi Iacobi, in Sacra
Solennitate Diuæ Catherinæ.
Anno. 1576.

NON *Duces dicam, nec Reges amplius ipse*
Carmine, nec Regum prælia facta, Patres:
Nec varias rerum fabulas depromere cantu
Audeo, nec querulos edere voce sonos:
Sed mea nunc viridi succingam tempora myrto,
Ac dulces Musas nunc celebrabo meas:
Unde tuas possim præclaras dicere laudes,
O Diua, O Martir nunc Catherina tibi:
Quas tibi iam laudes dicam sanctissima Virgo?
Aut quæ iam texam carmina digna tibi?

Septem

Septem errant Ignes per Cæli mobilis Axes,
Septem etiam portas corpore signa tuo:
Fulmina de Cælo mittit rumore Saturnus,
Et tu de Cælo pectora nostra cremas:
Iuppiter aspiciens cum terra pacat Olympum,
Et tu prospiciens virgo serenas humum:
Fortior armato est omni Mars milite fortis,
Fortior & tu omni Martire Martir ades:
Ostendit rubeos vultus rubicundus Apollo,
Purpureos vultus tu quoq; Virgo tenes:
Flaua Venus tàm mane nitet, quàm vespere semper,
At tu vtroq; nites tempore clara magis;
Mercurius dulcis decoratur munere linguæ,
At tu cùm faris saxa, fretumq; domas:
Fulgida sat Lunæ lampas, sat fulgida lampas
Stellarum, ac lampas fulgida Phæbe tua;
Fulgidior certè Catherina est lampade Lunæ,
Lampade stellarum, ac lampade Phæbe tua:
Nempè Dei summi es Martir nitidissima lampas,
Et lumen Cæli, ac Orbis amanda dies:
Nascitur alma dies cùm pandis lumina Virgo;
Quæ si tu claudis, clauditur ipsa dies;

Et si

Et si te cælas, mæret sine sydere Cælum,
Terra calore, venus luce, Cupido face;
Cum graderis Cælo, ac diffundis in aera cantum,
Saxa auidis pendent auribus, aura silet:
Cum rides, læti discerpunt nubila venti;
Cum loqueris, fulgent sydera, vernat humus:
In te habitat Pater, ac Verbum, tùm Spiritus almus,
Et mater Christi cum Trinitate simul:
Quis tibi iam dignas poterit nunc dicere laudes?
Quosq; tibi versus, O Trinitatis amor?
Tu es Virgo, tu Martir, tu inclyta Sancta Polorum;
Tu flos Sanctarum, tu es quoq; nostra Dea:
Te semper colimus, semper te Virgo vocamus;
Te semper petimus pulchra papilla Dei:
Tu nostrum decus, ac animæ tu gloria nostræ;
Tu lux Sanctorum, tuq; Corona Poli:
Cur tantùm hoc ausim pelagus sulcare tuarum
Virtutum, O magni splendida gemma Dei?
Mille mihi si essent Veneris dulcedine linguæ,
Non possem laudes promere nempè tuas:
Te Sancti non possunt plenè extollere cuncti,
Nec Chorus Angelicus cara Camæna Dei:

Sic Musæ retinebo meæ nunc Martir habenas,
Nam cæptos cursus continuare nequit;
Parce mihi precor O Cælebs veneranda quotannis,
Si laudes debitas tangere non potui;
Pauper .n. ingenio, ac animo (heù mihi) sũ ipse misellus,
Ac sine sum lingua, sum sine mente quoq;.

DIXI.

AD ILLVSTRISSIMVM ATQ; REVERENDISSIMVM D. Cardinalem Aragoniæ.

MVsa venit nostra tremulo contingere plantas
Ore, decens thiara nunc redimite caput:
Officijs tantò lentis, at corde Galero
Prima, precor pateat gratia Parnasidæ:
Et quamuis multi soleant afferre Pyropos,
Aurigeri ducunt quæque fluenta Tagi;

Non

Non animum (mi crede) gerunt mentemq; benignam,
Talia muneribus dissociata manent:
Idcircò purum capias cum carmine pectus
Conspicue, ac patrijs dignus imaginibus:
Sic summos reddas perfectus ordine fasces
Pastoris fatis sceptra verenda pij.

AENIGMA
SERENISSIMÆ DOMINÆ
D. HIERONYMAE COLVMNAE
Amplissimæ Hipponij Magnæ
Græciæ Ducissæ cum Dauidico
Tabernaculo dicatum.

DVm moueor, maneo, maneo si
terra mouetur;
Ac terram moueo, meque
mouente salum:
Si maneo, aut moueor terram
circundo manentem;
Ac Cælum attingo meque iacente solum:

Regificis recubo solijs redimita corollis;
Et Musis celebror, versibus inde canor:
Tantùm ego degam, quàm deget mea mater in Orbe;
Quæ cunctos superat fœmineosque gradus:
Nunc procul à matre erro, nec sine matre manebo:
Nunc sua me nutrit delicijsque soror:
Prisca ego sum terris, nec sum peritura nequaquam;
Nam mea conducunt fata secunda Poli:
Hinc ego cum cælor, Pandora vt florida cælor;
Hinc me cernentes esse Deamque ferunt:
Bacchare me lustrant Pliades, Mars ense, tridente
Neptunus, felix fulgure dextra Iouis:
Tybris me genuit, nunc autem Alcæada dicor
Proles, sed matris nunc Maro nomen habet.

AD REVER.mum PATREM MAGISTRVM THADÆVM PERVSINVM,

Totius Augustiniani Gregis Pastorem amplissimum.

VT placidi aduentu veris lætatur hirundo,
Et redit ad cantus læta reuersa suos:
Gaudet vt aduentu totum pastoris ouile,
Vtque canunt volucres adueniente die;
Vt timidi nautæ portu lætantur aperto
Quos mare, quos venti, quos fera fregit hyems:
Sic decus O Romæ splendor nitidißime Præsul,
Claræ familiæ lucida gemma tuæ;
Lætitia nostræ facies, animique replentur;
Hæcque micant Phæbo maxima tecta tua:
Sic nostri rident vultus, sic corda resultant
Aduenient felix, sic mea Musa canit:

Roma

Roma triumphalis te cara Perusia gaudent
Thadæo excelso, magnanimoque Patre;
Tu titulo ingenti, ac claro redimitus honore,
Ecce Perusinæ es gentis honorque, decus:
Venisti tandem Præsul venerande quotannis,
Aduentu Ecce tui læta trophæa gero:
Certè tempus adest, quo possim psallere Musis;
Vtq; tuas laudes carmine nempè canam:
Quis tua tàm claræ non laudet munera vitæ,
Verè totius maximus Orbis honos?
Gloria tu nobis, ac summa corona fuisti;
Ac eris æternus Religionis honor:
Nam Pater Aurelius cælesti assistit Ouili;
Atq; suum in terris tu quoq; nomen habes:
Splendet in ore lepor; vultu Cælum omne serenas;
Quidquid ais lepidum est, nobile quidquid agis:
Emicat ex oculis rutilans lux, corporis omnis
Incessu quouis tempore vernat humus:
Quid dicam? quicquid retinent hæc tempora pulchri
Deprimis, & quicquid terra decoris habet:
Saxea tu rumpis modulamine pectora dulci,
Attrahis vt Magnes, ducis & ipse simul:

Qui

Qui tuba Paulus erat Templi iam regnat in alto
Sydere cum Petro , non minor Orbe viges :
Verbum Diuinum explanans benè diceris alter
Nempè Augustinus, Paulus & alter ades.

AD ILLVSTREM DOMINVM PYRRVM MALVETIVM BONONIENSEM.

SVNT *fortes scopuli, sunt dura et marmora forte*
Et ferrum , in summis robora dura iugis :
Sunt fortes rupes, sunt antra, & cornua dura ,
Atq; Adamas fortis , forte hyemale gelu :
Fortior es scopulis tu PYRRE *ac marmore, ferro,*
Robore, rupe, antro, cornu, adamante, gelu.

AD

AD EVNDEM.

AN te in Acidalijs aluit Venus aurea campis?
Te nè sub Idalia fronde creauit amor?
Si rides rident Charites, si Nympha loquaris;
Ex labijs manant dulcia mella tuis:
Tu ridens Venus es, tu cernens alter Apollo,
Ac tu incedens es Iuno, Minerua loquens:
Aspectu fulges, Phæbum candore rubentem
Exæquas, ac Plebs Semideumq́ vocat;
Es genere Augustus, re PYRRVS, corde Metellus;
Es virtute Hector, Carolus ingenio.

IN OBITV DOMINAE HELENÆ MAGNANIÆ BONONIENSIS.

AD EANDEM.

HErbas dùm tellus, Cælum dùmq; astra tenebit,
Bononia extollet nomen vbiq; tuum;
Fama tuum nomen dicet dùm trina potestas
Torquebit terris fulmina mota manu:
Pollice dùm triplici conducent fila Sorores,
In terris viues seruula cara Dei:
Quisq; tuæ viderit tàm raræ præmia formæ,
Te inter cælicolas censerit esse Deas.

AD BONONIAM.

NVNC mea Parcarum modulos, cantusq́; Syrenum
Bononia heù linque, heù deliciasque fuge;
Tristes cum mæsta Philomela effunde querelas
Per Saltus errans, tetra per Antra gemens;
Sis procul à cantu, nec cernas cornua Lunæ,
Nec Phæbi auricomum luce nitente caput;
Nec plus Purpureo posthac veleris amictu;
Auribus hinc soluas aurea vincla tuis:
Desertam Hercyniæ cum Pardis incole syluam,
Te inter felices non licet esse Deas:
Noctes, atque dies resonet singultus in Antris,
Nam tua Sarchophago Terpsicoræa manet:
Impexi stent crines, os suspiria fundat;
Ac referat cunctis Helena pulchra obijt:
Et lacrymis gemitus, gemitu suspiria funde
Per mare, per terras, per sine luce domos:

Et tecum

Et tecum Veneres, tecum lacrymentur & Vrbes;
Et Charites tecum tristia fata gemant:
Ornatus periere tui, non amplius optes
Delicias; procul hinc, hinc procul ite ioci:
Percute te palmis, & questubus æthera comple,
Helena nam tumulo casta sepulta iacet.

BONONIA DE HELENAE MORTE CONQVERITVR.

PER *fontes Nymphæ plorent, per prata Napææ;*
Per syluas Driadum uox gemibunda sonet;
Per Colles, per Rupes, per Mare, perque Paludes
Singultu resonent carmina Parnasidum;
Et Prognes querulos, querulos & Oreades addant;
Addant & querulos scrupea Saxa modos:
Tristentur Silices, tristentur Tesqua, Polusque;

Atque Solum obſcura ſe modò nube tegat:
Et lacrymis faciant mea Lumina plena Paludem,
Riuum, Æquor, Fontem, Flumina, Stagna, Lacum:
Hæc hæc alba manus, manus hæc, hæc pulchra, decenſq;
Hæc facies, forma hæc, forma iacebit humi?
Lingua taces? nunquam depromes lingua Camænas?
Lingua taces? mæſtæ cur mihi lingua taces?
Cur dulces nunc reprimit (heù mihi) lingua loquelas?
Dulcis cur dulci riſus ab ore fugit?
BONONIAE *heù miſeræ non ſentis verba lugentis?*
Cur me ſic deſeris ſplendida Gemma mea?
Et ſine te quæ vita mihi, quæ vita manebit?
Certè vita mihi nil niſi plantus erit:
Non tibi pendebunt flaui de fronte capilli;
Quos tango, & lacrymis nunc labefacto meis:
Has poterit niueas tumulus cælare papillas?
Præſtabant oculi ſydera luce tui;
Nunc ſine luce oculi, nec me, nec ſydera cernunt;
Sydera ſunt oculis ſydera clauſa meis:
Quid mihi lux prodeſt? Quid mille heù uiuere Luſtris,
Si clauſis oculis nunc mea Vita iacet?
Montes vociferant; reſpondet vocibus Echô

Nunc

Nunc Orbis periȷ̇t, BONONIAEq́ decus:
Heu viuo, & miseræ patior dispendia vitæ;
Non possum ad Manes te mea Vita sequi;
Postquàm discedis, non mecum gaudia restent;
Sit sine fruge Solum, sit sine luce Polus;
Æthera sint tenebræ; Phæbus sine lumine semper;
Ac mihi sint semper fulmina, bella, neces;
Sint diræ nubes; sit turbo, ac grandinis horror;
Sint terræmotus; sint trucis arma necis:
Infelix ego semper ero; semperq́ refundam
Hos gemitus semper, semper & has lacrymas.

AD DOMINVM IOHANNEM ANTONIVM FRABETTVM BONONIENSEM.

DVm tibi *Musarum meditor carißime carmen;*
Ac conor laudes dùm celebrare tuas;
Filius ipse Iouis tùm carminis auctor Apollo

Adfuit,

Adfuit, & tales edidit ore sonos;
Cur FRABETTI *audes magni tu dicere laudes,*
Quas Pater ipse meus dicere posse nequit?
Desine, materiamq́ tuis age viribus æquam;
Delige & apta humeris pondera sume tuis:
Ipse ego sublimis FRABETTI *dicere laudes*
Incipiam; & nostri carminis istud opus:
Hunc proprijs Pallas nascentem excepit in vlnis;
Ingeniumq́ suum traddidit illa graue:
Dixit, & in tenues confestim euanuit auras,
Paruit imperijs nostra Thalia Dei.

AD D. PETRVM PAVLVM Cathaneum Fulginatem.

QVæ mihi misisti tandem Theoremata PETRE,
Me totum stultum reddere nempè valent:
Tàm magno in me fulgenti fulgore refulgent,
Vt te Fulgineum ritè vocare queam;

Sic etenim fulges Fulginas fulgide nobis,
Vt fulgent Cælo ſydera clara Ioui;
Fulgens hinc iuſtè Fulginas diceris ipſe,
Nam toto fulges corpore nempè tuo:
Si cantas fulges, fulges ſi verba refundis;
Si rides fulges, fulgida quæque facis:
Tu ingenio fulges; tu fronte, animoq; refulges;
Ac fulges vultu, corde, oculiſq; ſimul:
Quæ poterit mecum Parcarum lædere terſas
Theſes, ac lautas quæuè Camæna tuas?
Attamen vt magis, ac magis omni luce luceſcant,
Refrangam radios cum lenitate ſuos.

AD REVERENDVM PATREM DONNVM NICOLAVM RICCIVM Carthuſianum.

HEI *mihi cur pulchras merui fugiſſe Penates,*
Infelix animo cur procul iſſe tuo?
Quæ mea culpa fuit, quæ prorſus pæna petiuit,

Vt

Vt tua me linquat grata Cupido Dijs?
An Musis nocui, vel sum tibi noxius ipse?
Cur me sic renuis? dic mihi quæso Pater:
An forsan nescis dicentem semper in Orbe
Tu cordis dominus, mentis & ampla quies?
Flecte precor mites miti cum carmine Musas,
Vtque mihi misero semper adesse velint.

AD DOMINVM IVLIVM YAZZOLINVM HIPPONENSEM.

MVLTORVM *famam laudarunt carmine Vates,*
Tandem sæpè fuit fama reperta minor:
Non mea mendaces facit hæc censura Poetas,
Qui culicem fingunt ferre per astra bouem;
Quique canunt montes per se volitare per astra,
Et talpam è summa sede fugasse Iouem:
Odi ego sed semper leporem conferre leoni,
Quare loquar de te verus vt Historicus:

Tu aspectu

Tu aspectu es lepidus, forma mirabilis, atque
Virtute excelsus, nomine perpetuus:
Tu præstans animo, ac magno redimitus honore;
Diceris à cunctis maximus esse Sophus:
Ac tandem in toto quot sunt tibi corpore membra,
Tot simul Heroas, Semideosq; tenes.

IN OBITV DOMINI FABRITII MONTIS VIRIDIS Hipponensis.

PLANGE *precor* VIBONA *pium nunc mæsta sepultum*
FABRITII *nomen, mores, & atra caput;*
Nam dote ingenij, præclaræ ac munere formæ,
Ipse erat en HIPPO *gloria, honorq; tibi;*
Solus & heu qualis primo flos tempore veris,
Vix redeat forsan, nec rediturus erit:

Heù miſer in teneris florens Fabritivs *annis*
Oppetit, & luctu ſæuit vbique dolor:
Tu qui laudabilem ſedem, & flenda oſſa reuiſes;
His gemitus ſubdas, baſia Sarcophago.

IN LIBELLVM R. P. MAG. AVRELII LYNARIENSIS AVGVSTINIANI.

AD LECTOREM.

SI *cupis en lector terſè, facilèque doceri,*
Avrelii *ſtudeas nocte, dieq; libro:*
Quiſquis es hunc habeas, & quò ibis ferre memento;
Ac legito ſemper ſi velis eſſe Sophus:
Si tu mira petis, per mira videbis in iſto;
Ac quoque cum miris placida tu inuenies:
Hunc etenim ſcripſit priſcus Lynarivs *ille,*
Quem tollunt homines ſydera ad alta Poli:

Quem

Quem si sæpè leges, tu cuncta volumina volues;
Quæ Peripateticis condidit ille prior:
Et si perlegeris, tu disceris absque magistro;
Atque breui Logicus tempore doctus eris.

AD EVNDEM.

DISTICHON.

QVID *miraris lector? paruus sum ipse libellus*
Corpore, sed dictis maximus esse feror.

AD AVCTOREM.

DISTICHON.

EDISTI *certè* LVNARI *magne libellum,*
Qui canet æternò nomen vbique tuum.

AD D. OCTAVIVM
MONTEM VIRIDEM
Hipponensem.

IN crine accendens Amor est in
textus; amænis
Enitet in labijs, fronteq́; dulcis
Amor:
In pulchris stat Amor palmis,
stat pectore in albo;
Cum cantas, doctis cantibus exit Amor:
Aglomeratur Amor pedibus cum vadis, vbique
Vt seruus dominum te comitatur Amor.
Non vnum ergo tenes, sed mille in corpore Amores:
Sic OCTAVI *Amor es, totus Amore cales.*

AD DOMINVM CAROLVM
BARONVM HIPPONENSEM.
Distichon.

D*iuitiæ Cræsum, Pompeium fama venustant;*
Sic tua te CAROLVM *virtus in Orbe beat.*

AD

AD DOMINVM CAROLVM SVRYANVM HIPPONENSEM. Distichon.

VEris honor flos est, ver Terræ, sydera Cæli;
At Cæli, & Terræ es CAROLE *veris honor.*

AD DOMINVM NICOLAVM THOMARCHELLVM HIPPONENSEM Distichon.

VT clarus fulget nitida inter sydera Tytan;
Sic inter magnos fulges honore Viros.

AD DOMINVM BRVNVM BAIANVM HIPPONENSEM. Distichon.

PHæbus vt Astræi princeps censetur Olympi,
Sic tu Doctorum prima trophæa geris.

AD DOMINVM PAVLVM Thomarchellum Hipponenſem.

MORIBVS, ingenio, ac magna virtute refulges,
O decus Auſonijs, Pegaſidumq; decor:
Hector es hinc animo, ac fulgenti nomine Pæan;
Doctrina es Pallas, ingenioque Bias.

AD DOMINVM PHILIPPVM Biſantum Hipponenſem.

ATtollis Cælo ſi lumina, ſydera gaudent;
Si terræ affigis lumina, terra calet.
Fronte Venus fulget ſi claudis lumina; nudus
Lumina ſi pandis cum face ſæuit Amor:
Lumina ſi cælas, homines ſine lumine mærent;
Ac querulas fundunt nocte, dieque voces.

AD D. IOHANNEM FRANCIſcum Stanganellum Hipponenſem.

DISTICHON.

L*Audibus, ingenio, ac fama Franciſce* IOHANNES
Æternum duces nomen vbique tuum.

AD R. DOMINVM FABIVM Suryanum Hipponenſem.

Diſtichon.

S*Ic animo magnus, magnus ſic nomine* FABI;
Fabius vt quondam Magnus in Orbe fuit.

AD R. DOMINVM IOHANNEM VINCENTIVM CHRYSPVM HIPPONENSEM.

Diſtichon.

N*On Tellus tot flores habet, tot ſydera Cælum:*
Quot CHRYSPO *laudes quiſquis in Orbe canit.*

AD

AD REV. DONNVM DOMINICVM PLACENTIVM Hipponenſem.

STellis vt Tytan decori eſt,
&c ſydera Cælis;
Sic Patriæ decus, ac ſplendor es ipſe tuæ:
Tu ſapis & quicquid dictabat Tullius olim;
Atq; tuo promptus manat ab ore lepos:
Sic prius è proprio deſiſtent ſydera motu,
Quàm tua de noſtro nomina corde cadent:
Sydera iam ſeptem ſuperat micantia Cælo
Forma tuæ vitæ, Tritoniæque nitor.

AD REVER. D. DONNVM ALEMANNVM ORLANDVM BONONIENSEM.

NON citius ſeptem videbantur membra Megæræ,
Quàm tua MORELLO *ſceda canora datur;*
Fontes nec ſacros molles aluere Penates,
Me vt tua melliſluo nectare Muſa nutrit:
Nec quondam æthereus fundebat nectara Pæan
Mellea, vt Auguſtis ſunt tua dicta Deis;
Tantalus ut plantis ſitiebat flumina calcans,
Sic ego nunc ſitio carmina pulchra tenens:
Nam Stygios poſſunt animos conflectere cantu;
Et vinclis vinctos refrigerare melo:
Dulcius ipſa canunt quernis redimita coronis,
Et triſtes mulcent vt Philomela viros:
Aurigeri Pelei ſic gemmea Succina linquam,
Et tua nunc lauris carmina digna petam:
Inde precor mittas ALEMANNE *O maxime ſemper,*
Nè mihi lauta deſint fercula parta manu.

AD D. IOHANNEM ANGELVM FRANZEVM HIPPONENSEM Distichon.

NOmine tu Angelus, ac uerè Angelus Angele vultu;
Angelus & verbis, Angelus ac animo.

AD DOMINVM POMPÆVM Aspriensem Neapolitanum.

ME spectas oculis POMPAEE *iocantibus, inde*
Effugis, & rabida tygride peior ades:
Cum te credo meis manibus retinere, fugaci
Plus cerua curris cum timet ora canum:
Si lætus, placidusq́; venis POMPAEE *parumper:*
Quàm mihi mox multo tempore sæuus eris?

AD DOMINVM POMPONIVM ANDRIVM FVSCALDENSEM.

TAm mihi misisti Pomponi Carmina lauta,
Vt semper cupiam, sic cupiamq; diù:
Quas unquam laudes potero tibi reddere gratas,
Cum omnes dixisses tu mihi verus honos?
Quæ poterit mecum Parcarum soluere tersas
Voces, ceù dulces quæuè Camæna logos?
Quis namq; Ædippus, qui quondam ænigmata soluit,
Carmina missa mihi cordibus Andriacis?
Nam Pegasi sequeris cursus tendentis ad astra;
Dædalus ac alter tu videare mihi:
Nunc equidem rogo nè scribas plus carmina dura
Caro Morello, sed leuiora tuo.

AD STVDENTEM.

ESTO humilis; nulli sociorum detrahe; pacem
Dilige; Doctori morigerare tuo:
Omnibus acceptus; tristisq; à fronte recedat
Nemo tua; faciles tradito cuiq; oculos:
Est generosi animi argumentum id amabile cunctis:
Sic sapies, iuuenis qui facit ista sapit.

AD EVNDEM DORMIENTEM.

STulte quid heù dormis? gelidæ nisi mortis imago
Somnus, & est vitæ fama sepulta tuæ?
Surge piger, quid agis? nunc pulchræ ostende Dianæ
Lumina; namq; tibi grata Minerua foret:
Sic viridi sepient te blandæ Bacchare Musæ,
Vt summo reddas carmina laude Deo.

AD

AD CELEBERRIMAM VRBEM HIPPONENSEM.

SAlue Mons Veris; Salue
Mons inclyte Terræ;
Nympharum Collis; Par
nasidumque Domus;
Salue Mons Orbis cunctis
celebrandus honore;
Salue Manna fluens, auri
gerumque Thagum;
Salue Mons pulcherrime; Salue O Gemma Dianæ;
Tu Mons excelsus; clarus in Orbe Dies:
Salue Mons lucis; Salue O Mons lucide semper;
Te Cælum, ac Phœbus, sydera cuncta colunt:
Salue Mons hilaris; Salue O Lux clara Mineruæ;
Tu Mons fulgoris, luminis atq; Moles:
Salue Mons celebris, Regnorum O fulgida Lampas;
Tu Mons Heliadum, ac Palladis alma Parens:
Salue Mons florum; Salue Mons floride semper;
Tu Veneris Cælum, Mercuriiq; que Polus:

Salue Mons felix; Salue omni tempore mittens
Lilia, Narcissos, Purpureasque rosas:
Salue Mons Cereris flauæ mitißima Tellus;
Tu certè intonsi Vinea pulchra Dei:
Te Campi, Valles, Fontes venerantur & Horti;
Balnea, Mons, Æquor, Flumina, Sylua, Lacus:
Audeo non vltrà nugari versibus ipse;
Laudes nè lædant carmina nostra tuas:
Accipe quæ tandem affert præclarißima Mater
Magnus amor Filij, corq́;, animusq́; tui:
Munera, quæ fero, si voles celeberrima VIBO;
Hà Gnati inuenies candida corda simul:
Quæ tibi nunc præbet carus munuscula Natus,
Hæc tibi nunc magni pignus amoris erunt.

AD EANDEM.

Grande Caput, pulchrasque tuas nunc lingere Plantas
Nunc corde ignito cara Thalia venit;
Paruula sed donis, quæ iam tibi parua videntur;
Magna tamen magno semper amore venit:
Minima pro magnis offert tibi maxima VIBO;
Quæq; dare (heù) vellet, non modò nempè potest:
Corde precor capias puro dulcissima Mater;
Nam tua (dùm viuet) serua perennis erit.

FINIS.

BONONIÆ,
Peregrinus Bonardus Excudebat.
M. D. LXXXI.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967